



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

II. De immunitate templi. LI. Sax. cap. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

dam astringatur, resiliat potius, quam cœpto insistat suademus. At si sponderit quod iuste & legitime præstare poterit, neque præstiterit, arma fortunæque suas omnes amicorum fidei concredito, ipse in custodiam regiam 40. dies mittitor, subiturus id supplicii quod ei episcopus pro meritis imposuerit. Hic si ex proprio non habuerit quod edat, cognati ei cibum suppeditant. Sin etiam cognati (si quos habuerit) eius victui suppeditando impares fuerint, ipsum præpositus regius sustentato. Atqui si ad armorum deditionem vi vincisque constrictus perpellatur, armis & rebus suis omnibus mulctator: & si contumaciter resistendo mortem occubuerit, solutio æstimationis capitis eius non esto. Sin fugam agitarit, fugientemque anteverterint, 40. dies in carcerem (vt quidem antea fieri oportuit) coniiçitor. Verum si fuga elapsus fuerit, ab omni legis patrocinio destitutus habetor, atque in omnibus Christi ecclesiis anathema esto. Quod si quisquam alius pro eo fidem dederit, pœnas fideiussionis violatæ dato, & fidei læsæ supplicium quod ei fuerit a sacerdote imperatum subito.

## II.

Criminis cuiuscumque noxius (si quidem id villam regis, aut familiam honoratam aliquam non attingat) si ad fanum confugerit, tres noctes quibus salutis suæ prospiciat (ni interim in gratiam redierit) ibi maneto. Ac si quis eum per id temporis plagarum, vincolorum, aut vulnorum metu profligarit, mulctæ, vel ipsa capitis æstimatione, prout eius gentis feret consuetudo, noxiam omnium sarcito: fani porro ædituis 120. solidorum numeratione pacis ecclesiæ violatæ pœnas luito.

## III.

Qui fideiussionem regi oblatam violarit, noxiam prout æquum fuerit sarcito, & ipsa fideiussionis violatio quinque libris Merciorum denariorum pensator. Violatio fideiussionis aut pacis archiepiscopo datæ, 3. libris æstimator: episcopis aut senatoribus, duarum librarum censetor.

## IV.

Vnicuique porro templo religiose ab episcopo consecrato hanc pacem concedimus. Si quis alteri inimicatur, isque templi suffugium implorarit, per septem dies a nemine abstrahitor, si quidem præ fame viuere possit, &  
viam